



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XVIII MARTII.

M

Adritti a. d. 10. Febr.

Malacca accepimus
Emanuelem Josephū
Mauriquesium, qui
cum duabus nauibus
in altum exierat, na-
uigium Algerianorū,

tormentis sedecim ornatum, in quo nonaginta piratæ fuerant, captum abduxisse. Princeps Asturiæ coniugem suam quam sæpissime inuisere solet, posteaquam ex morbo in itinere contracto conualescere cœpisset. Tentata vero fuerat morbo, qui a medicis erysipelas, (alias *ignis sacer*) vocatur. Quod malum alteram maxillarum eius occupauerat, sed medicorum ope iam prope abactum est. Dicitur autem vix potest, quantopere interea temporis rex & regina de nurus suæ solliciti fuerint valetudine. Quotidie enim in con-

clauē eius veniendo, sua præsentia vim morbi leuare non intermiserunt. Jam & ambo principes iuuentutis, Carolus atque Ferdinandus, e morbillis, qui eos lectulis aliquamdiu adfixos tenuerunt, conualescunt. Si quid famæ, quæ in vulgus emanauit, credendum est, Carolus proximo venis tempore, iter in exteras suscipiet regiones, omniumque primum Italiam peragrabit. Nuper Rufeus, *Marchio*, ducis S. Simonii filius, natu secundus, adoperto coram rege apparuit capite, & paranymphum, vt vocant habuit Arcosium ducem, qui ad hæc cerimoniarum solemniam, omnes proceres aulæ, more vsitato inuitauerat. Quibus rite peractis, dux S. Simonius, apparatissimo, quod instruxerat conuiuio, omnes excepit. Præteritis hisce diebus, idem dux S. Simonius insignia Gallorum in fronte

fronte palatii sui adfigi iussit, compluresque pueros nobiles, splendidissime vestitos in suam adsciuit familiam, quapropter multi existimant, fore ut in hac vrbe aliquamdiu sedem suam habeat. Jam nuntius regi venit, Augusta Taurinorum missus, qui eum de matrimonio, quod princeps Pedemontanus, cum Ludouica principe Palatino Sulsbacensi inire constituit, certior reddidisse dicitur. Regis magnæ Britanniae legatum Stanhoppium cum nostris sæpius conferre consilia, & cursores subinde in Galliam atque Angliam mitti, indeque redire animaduertimus, quid autem rerum in deliberationem veniat, miro occultari solet silentio. Id tamen certum est, omnibus iam militum tribunis a rege mandatum esse, ut cohortes, quibus proximo mense Martio, nouæ distribuentur vestes, nouis militibus in supplementum lectis, reficiant, & tyrones quam diligentissime armis exerceant. Hispali accepimus literas, quibus nuntiatur, Ferdinandum III. Hispaniae regem, cuius mortui corpus, tertio supra millesimum, trecentesimum, anno, in templo eius vrbis primario fuit sepultum, a Pontifice Romano, diuorum adscriptum esse numero, iamque omnibus præceptum esse Sacerdotibus, ut memoriam eius die 6. Martii, per totam, qua patet Vandalitiam, quotannis in posterum celebrent. Id autem propterea factum esse aiunt, quod rex ille, paucis, antequam moreretur, annis, non modo Hispalim vrbe, sed omnem pene Vandalitiam, cuius ea caput est, saracenis ereptam, christianorum ditioni adiecit.

Parijsis a. d. 19. Febr. Nudius tertius rex cum Bourbonio atque Villaregio, in suburbium, quod a diuo Antonio

accepit nomen, processit, atque e fenestris personatorum hominum greges, qui spectantium se offerebant oculis prospectauit. Illo tempore Villaregius, dolores ex podagra, cui obnoxius est nullos sensit, quibus tamen paullo post tanto vehementius discrucari cœpit. Hodie regis sponsa Aureliam ingressura dicitur, vbi tantisper eam commorari atque a lassitudine requiescere oportebit, dum omnia ad solemniorem eius in hanc vrbe introitum rite parari potuerint. Equitibus, qui globos igniuomos iaculari solent, in mandatis iam a rege datum est, ut collectis rebus suis, itinere sese accingant, sponsæque regiae obuiam profiscantur. Ut autem ei in vrbe intranti, omnia quam magnificentissime adpareant, arcus triumphales quinque diuersis locis exstruentur, quorum primus ad portam d. Jacobi, per quam regina introducetur, secundus in ponte, ut dicitur paruo, ad viam d. Jacobi, tertius in ponte, qui a d. Virgine nomen accepit, quartus in via d. Honorii, per quam regis sponsa ad palatium ducetur regiam, quintus denique ad ipsum palatium ædificatur, Omnes autem picturis & inscriptionibus erunt conspicui atque exornati. Dux Carnutensis depulso morbo in publicum denuo prodire cœpit, hesterno vero die in palatio Thuilleriano regi gratias egit, propterea quod de salute ipsius sollicitus tam crebros miserit nuntios, qui, quo statu eius fuerit valetudo, adcurare explorare debuerint.

Allia ex eadem vrbe, a. d. 24. Febr. Nudius ab hinc tertius in palatio Thuilleriano sanctius institui debebat concilium; cum autem, qui regi a secretioribus sunt consiliis, regem ad conclauius vsque limen comitati, conspexissent

xissent, Rohanium atque Boisium, *Cardinales*, proximum post regis stirpis principes occupasse locum, nullus eorum ingressus est, sed omnes protinus domos suas discesserunt. Quo facto Dux Aurelianensis, omnibus, ne id inposterum facerent, mandata regis nomine misit. Princeps Rakotzia, quæ ante hos tres menses huc accesserat, ut Brenneri *Abbatis* hæreditate sibi relicta potiretur, morbo implicata, naturæ debitum reddidit. Status Britannæ minoris, Occitanæ, atque Prouinciæ, id a rege christianissimo precibus obtinuerunt, ut sibi maiorem tributorum partem, propter calamitatem, quam temporibus proximis perpeffi sunt, remitteret. Cursor extraordinarius, qui ante sex dies ex Anglia accesserat, Polwarthm, regis magnæ Britannæ legatum, sub finem Februarii mensis Cameracum profecturum esse, adfirmabat.

Londini a. d. 20. Febr. Hesternæ die quatuor scelerati homines capitis fuerunt damnati, videlicet Johannes Burgessius, Wilhelmus Colthurstius, Johannes Smithius atque Jacobus Smithius, qui omnes, uti iam decretum erat, cras ad Supplicium rapi debuerunt; sed cum id iis innotuisset, duo illi, quorum alterum primo, alterum postremo loco nominauimus ad desperationem adducti sunt; ac ille quidem sibi cultello præcidit, hic autem catena funiculi loco adhibita, fregit gulam. Fama his diebus ad nos perlata, est, prope Guinæ littora naues aliquot Anglorum atque Gallorum, ab archipirata Sloops dicto, captas fuisse, in his magna quoque illa Gallorum nauis, cui Imperatricis nomen indictum fuerat, numeratur.

Hagæ Comitum, a. d. 25. Febr. Tertia abhinc die, nuntius a Stanhoppio, An-

glorum in aula Hispanica legato, extraordinem missus, ad littora nostra accesserat, qui regi magnæ Britannæ nuntiare debet, difficultates omnes, quæ conuentum Cameracensem adhuc sufflaminabant, iam esse sublatas.

Alia indidem a. d. 3. Martii. Tarocca comes, idemque Portugalliæ regis orator, denuo nunc libellum Belgii fœderati proceribus misit, in quo eos monet, ut, quos regi suo debent flores 98112. tandem dissoluant. Ceterum conuentum Cameracensem, simul ac regis magnæ Britannæ orator eo aduenerit, inchoatum iri, ferunt. Si famæ, quæ percrebuit, credere fas est, nihil aliud in eo legatis erit agendum, quam ut fœderis quadruplicis leges, quæ iam in libello editæ, venales profiant, ab omnibus publice comprobata, præscriptione solemnè confirmentur.

Ex partibus ad Mœnum fitis, a. d. 24. Febr. Principes, quibus circumiacentes parent regiones, simul ac rescuerunt, de perditissima colluie, plus minus sexcentis Zingaribus constante, quorum plurimi equis vecti, & omnibus, quæ equitum sunt, armis instructi, diuersis agminibus Vetterauiam in festant, duo miserunt armatorum millia, qui dissipent, fugent atque trucident sceleratos homines, pacemque publicam ausu tam nefario turbantes: quippe qui ferrum & flammam comminari sustinuerunt agrestibus, nisi res ad victum necessarias, eis suppeditare voluerint.

Hafniæ a. d. 21. Febr. Hodie mane Lœwencærius, summus militum dux iter ingressus est, Berolinum profecturus, ut ibi legationis munus obeat. Helsingora nuntiatum nobis est, Schulmanum chiliarcham suecicum, libertatem a rege suo obtinuisse, ut sibi Holmiam redire

redire, causamque dicere liceat, is enim mense superiori. Buniarium chiliarcham, singulari certamine, ad quod ab eo prouocatus fuit, glande plumbea interemerat.

Alia a. d. 24. Febr. Rex noster crastina die Fridericoburgum profecturus est, ut, quam ibi exstrui curat arcem, cui propediem supremam in ponent manum, oculis lustret. Nec dubium est, vniuersam regis familiam, æstate proxima ibidem esse habituram. Qui nuper ægrotare cœperat comes Larwigius, toto corpore variolis postea conspersus fuit, a quibus ei præsentissimum imminebat vitæ periculum. Morbus hic tantopere apud nos sæuire cœpit, ut ne senioribus quidem parcat. Certe inter alios, inaudito prope exemplo, femina quædam annum agens septuagesimum, eodem proxime fuit correpta.

Brunsviga a. d. 28. Febr. Nudius ab hinc tertius Excellentissimus comes Metfchius, qui ab Imperatore Romanorum, ad conuentum hic celebrandum fuerat missus, cum frustra se, aliorum principum legatos hic opperiri, cernebat, Hamburgum discessit. Num itaque sperandum sit, fore, ut aliquando conuentum eiusmodi publico vrbs hæc nobilitetur, id quidem non perspicimus.

Dresda a. d. 27. Febr. Princeps Regio- Electoralis quotidie fere venando tempus fallere solet. Quid in comitiis, quæ hic iam celebrari cœperunt, agatur, nondum cuiquam innotuit. Ab aliquot iam hebdomadibus adeo tempus incalescere cœpit, ut multis retro annis, id factum, vix meminisse queamus.

Budorgi a. d. 9. Martii. Superiori die Jouis, Santinius Pontificis maximi nuntius, in Poloniam missus, in urbem hanc venerat, cui Excell. comes Schafgotfchius omnem habuit honorem, ante-

quam iter suum Warsauiam profectus fuisset.

Warsauia a. d. 4. Martii. Litteris, quæ ex Litthuania atque Churlandia nobis adferuntur, nuntiatum est, Russorum Imperatorem, simul ac comitia cœperint celebrari, legiones suas quæ in Churlandia sunt, eodem proficisci iussurum, sed quo id valeat, neminem adhuc intelligere. Proximis hisce diebus princeps Dolhoruckius ad nos accessit, legati Russici munere functurus, quem tamdiu hic commoraturum aiunt, dum Rex Augustus, quem propediem exspectamus, aduenerit.

Vienna a. d. 14. Martii. Imperator Augustissimus uti semper consuevit, ita nunc inprimis consilia cum summis aulæ proceribus, quam studiosissime confert. Horis autem pomeridianis, cum suis, tum exteris etiam, conueniendi sui facit potestatem.

Berolini a. d. 19. Febr. Hompeschius celsissimorum Belgii fœderati procerum legatus, diu multumque apud regem conquestus est de vectigalibus, quæ ab iis exiguntur, qui nauibus in Rhenum euecti, quædam ducatus Cluiensis oppida prætereunt. Quid autem responsi tulerit a rege, nondum habemus exploratum. Interea magnus ei a rege habetur honor, quandoquidem præteritis modo diebus cum Meyerfeldio, summo apud suecos copiarum duce prandio adhibitus fuit.

Posonii a. d. 18. Martii. Ut finiri tandem aliquando conuentus in religionis negotio institutus, queat, *Exelsa Regiaque Commisio* diem præfiniuit certam, qua pars vtraque vltima scripta sibi tradat examinanda. Ceterum ea nunc apud nos obtinet aëris temperies, ut pastinandis collibus vitiferis commodior exoptari vix valeat.